CONQVE-
STIO DE CALA-
MITOSO IN PRAE-
ſens rerum Chriſtia-
narum ſtatu:

GEORGII VVICELII
Presbyteri.

Adiunxi uos uni uiro, uirgi-
nem caſtã exhibere Chriſto.2.Cor.II.
Veni & oſtendam tibi
ſponſam uxorem Agni.Apoc.21.



LIPSIAE,
In officina NICOLAI VVOLRAB.

M. D. XXXVIII.

Cum GRATIA & Priuilegio Maieſtatis Reg.

D. T. C. R. EPISC. MAG. GRATIAM ET PAcem à IESV CHRISTO.



VID TV VIR PRAESTANTISSIme ſentis, Quid aís, homo clariſſime de huius noſtræ tempeſtatis tempeſtuoſiſſimis intemperijs? An poſſint deteriore in loco eſſe omnia? An rerum ſtatus œcumenicus queat laudis habere minus? Inualuit iniuſtitia, poſteaq̃ procul hinc fugit Iuſtitia, Pietas occidit, Veritas oppreſſa eſt, Religio nutat titubatue, Fides profligata mœret, Innocentia relegata luget, Membra CHRISTI diſiecta atq; confuſa ſunt, ſicut membra Penthei regis, Nihil ubique totum, nihil ſanum. Ecquid hic, dicet prudentia tua, mihi offundis? Quis tu, & unde, ut iſtiuſmodi oculis meis ingerere audeas? Mi domine, in tantum mihi ſæpenumero depredicata eſt ſapientia tua, cum germana pietate, cumq; rara eruditione iuncta, prçterea ea eſſe humanitate, ea dexteritate ingenij, eo candore morum diceris, ut me non poſſim ulterius cõtinere ab alloquendo. Gaudet pietas mutuo colloquio, & ſecreti præcordiorum angores leniuntur libera confabulatione fratrum. Pectus certe meum ita prorſus adfectum eſt, ut nihil prius, charius aut gratius habere queam, prçſentia proborum hominum, quorum luculentos ſermones, tantis in

 tene

tenebris, audiam. Quin soleo etiam dolores intimos in amicorũ aures tristibus querimonijs libenter euomere, atq; ita demum me bona curarum parte leuari arbitror. Te uero amicum mihi, aut profecto non inimicum omnino esse, tam è uerbis quàm literis N. nostri sæpe percepi. Redeo igitur ad cœptas querelas, sed ea lege, ut his effusis, à tua sapiẽtia solatium accipiam. Vidisti, homo quippe prudentissimus, qua radice in Germania nostra noua Sectarum lues, & quàm subito creuerit. Vidisti, inquam, initium, uides progressum, de exitu dubitatur. Male propitio deo exorta est hæresis, ut quæ nisi eodem placato occidere haudquaquam possit. Curiæ Romanensis atque capitum quorundam ecclesiasticorum intolerabili culpa uisitati sumus in iudicio. Et ut metuẽdum est, uisitabimur etiam in furore, quãdoquidem non conuertimur ad percutientem nos. Gladio hæreseos percussi, rigemus adhuc duræ ceruices, Romphæa Turcæ duris ergo imminet ceruicibus. Numera quę mala Europæ aduexerit Schisma, et mirabere, unam superesse Religionis uirtutisq; micam. At quid futurum diuinas, si huc usq; perruperit tyrannus Asianus? Secta hactenus egit prosperrime, nec ullo in proposito caruit successu. Contrà reputa, quàm sinistre in plerisque cesserit diuersæ parti. Secta scripsit: auide lectum est. Dixit: alacriter auditum est. Voluit propagari: propagata est. Placuit contemni ac de-

ſeri Eccleſiam Rom. magna ex parte contempta ac deſerta eſt. Conſilium erat, ſua inſtituta ciuitatibus obtrudi: obtruſa ſunt. Concupierunt acceſſionem Principum & ciuitatum: ex uoto id factum eſt. His non contenti, uenati ſunt etiam reges: ceperunt. In uotis erat, dominari, diteſcere, delitiari: dominantur, diteſcũt, delitiantur. Maiora his uidemus. Fiunt Cæſarei conuentus: fortunarunt illis dij. Spernunt Monarchias: res parum male habet. Colligantur fœderibus: proſpere cedit. Celebrant noua comitia ſuæ firmandæ cauſę: fauſta omnia. Laceſſunt ac traducunt ſupremos proceres: recte habet. Mouent arma contra quietos: ſucceſſit. Inuadunt aliena, depulſis poſſeſſoribus: fit impune. Exurunt in propatulo codices decretorum: bene eſt. Atqui nunc iſtorum Iurisprudentes exuſcitant e fauillis combuſtum ius, & cinerem in oculos Machabæorum, quibus cum mortua papyro bellum fuit, inſufflare cœperunt. Agricolas phrygias modulationes concinentes excitant, mox uiſo ſpectaculo, & re ſecus cadente, q̃ augurabantur, recinentes diuerſos modos, territos Agricolas rurſum ſedant. Talis Ate primum fuit Lutherus, mox Lite factus. Habet in manu Mercurij uirgulã, qua quicquid fere, uti uult, uel addit uel adimit: Bene hoc quoq;. Quid nõ audent admirabiles uiri? Sepeliũt canem mortuum pro homine: bene eſt. Quo loco mihi fictum Philomelæ funus apud Ouidium

ſuccurrit, ubi Tereus:

Dat gemitus fictos, commentaq; funera narrat,
Et lachrymæ fecere fidem.

Atq; ita poſthac trito Teutonibus adagio non locus erit. Nam nemo amplius dubitans dicet: Quis ſcit, ubi nam ſit ſepultus canis? Huic em̃ ilico reſpondebitur: Vitebergæ. Oppedunt Concilio indicto: bene eſt. Ædunt probroſas epiſtolas in cœlo datas ſcilicet, cõtra famam Concilij. Illudunt Concilio per ignominioſum Carthacei ludi commentum, confingentes ſibi in Concilio Mantuano nihil tractatũ iri, niſi puerilia atq; ridicula. Eo commento nihil poteſt inueniri ſcurrilius. Atq; iſtud quaſi parum dedecoris ſecum trahat, adiungunt leuiſſimis iocis ludisq; ſuis, ſcripta ſeria contra Concilium uocatum (quid facerent contra congregatum?) male ominantes, irridentes, nihili facientes bonum inſtitutum. Vtq; hoc ipſum prorſus eleuent, ingeminant atque inculcant nobis ſexcenties, quicquid unquam curia Romanenſis, quicquid uſpiam delyrarunt audaculi quidam nebulones. Inde nobis pudenda illa fabula de diuo Chryſoſtomo (de quo uiro ſi qua utilia & uera leguntur, maligne tacent iſti) Poſt fabulam egregiam Donatio illa Conſtantiniana. Bone CHRISTE, quæ ibi menſura procacitatis, arrogantiæ, ſannorum, uituperiorum? Quis terminus inſanæ maledicentiæ, amarulẽtæ incuſationis, odioſę infamationis? Quantum eſt

tum est ibi seditionis? Quas ibi cædes spirat Lutheri spiritus? Quis satis efferat nostrorum apostolorum ferociam plusq̃ Saulinam, quando e Smalcaldijs (uictores sine repugnante) domum redissent? Quales ouationes, gloriationes, comminationes? Sed bene hoc quocꝫ. Nec desinunt in hanc usqꝫ horam, Concilio, licet nondum facto, conuitiari & detrahere, sed subinde alijs alios contumeliosos libellos accumulant, in quibus hoc sane unũ student, ut animos obedientium Germanorum à consensu pij & necessarij operis palàm auertant, Cui ipsi tamen antea consenserunt: si quid eos ullius puderet inconstantiæ. Refugiunt ceu lucem Concilium, uereor, ne illic arguantur sua tenebrarum opera. Iactant Euãgelion pacis, & pacem ipsam horrent. Adfirmant se concordiam amplecti, & ea interim, quæ uel maxime discordiam alant, in publicum iaculantur. Studio habent, om̃ia in lucem reducere, quæcunqꝫ tot annis mala sopita delituerunt, ut per aliena peccata purgentur ipsi. Nihil nisi damnant Papam, se ipsos beatificant, non habentes discrimen temporum. Norunt quæ priores papæ commiserunt, at quid commeruit hic Paulus? An non æquum erat, ut cessante culpa, cesset & reprehensio? Si ipsis cordi est pietas cum bonis copulata literis, quur perpetuo clamant in Papam, qui & pietati & literis bene uult? Sed stolidum me, si arbitrer audire saxa. Petrus ipse si in Cathedram rediret,

non mi-

non minus male audiret inter hæreticos, qui animum induxerunt, sine discrimine omnia simul conspuere quæcunque ante hæresim extiterunt: exceptis ijs quæ sunt aut politica aut amica carni. Tantum ne fuit leuitatis in Vlricho Hutteno & Francisco Sichingo decurione, ut illiusmodi comprobaturi sint? Et quis omniũ electorum ullo modo possit deprehendere, CHRISTVM apostolicam Ecclesiam in homines tales transtulisse? Proh pudor, deberemus certam uiui dei domum deserere, & nosmet committere spelũcis talibus, in quibus latent Coci tales, ac tanti Caci? Quõ fieri potest, ut ibi sit genuinus Euangelij sensus, uera Theolatria, uera sanctorũ panegyris, ubi odio habetur uniuersalis concordia, & ubi nihil, nisi uigilatur ad abolitionem catholicismi? Nunc alia uia, nescio an commodiore, quærunt suæ factioni patrocinium. Reuocant in uitam Ioannem Hussum, de quo, quæ ipsis placent, publicitus predicant, scribunt, ludunt. Qua techna Germanos antea plus satis letifero in clerum mixtum odio flagrantes, magis ac magis incendere conantur: dũ in præceps eat, quicquid adhuc ullubi cõsistit. Volunt hanc suã tragœdiam (ita enim Luderus ipse factionem suam appellat) Hussi miserabili casu Germanorũ oculis commendare, haud consyderantes, Hussum illum, dum uiueret, multo secus & fecisse & docuisse in Bohemia, unde uerisimilimum sit, eum hodie turbulentissi

mæ ac im-

mæ ac impuriſſimæ factioni neq; aſſenſurum neq; adhæſurum. Huſſi certe negocium in paucis admodum cum Lutherana tragœdia facit. In papas, epiſcopos, & ſacerdotes uehemens & acer erat, id demum habuit cum Luthero cõmune, præterea opinionem de propinato calice, cætera diſſimilimus. Quin & illud non conſyderant, ſuam nimirum factionem ideo non bonam eſſe, quod de Huſſo ſupplicium ſumptum eſt. Nec ideo innoxios eſſe, quod Huſſus innocenti uita fuiſſe perhibetur. Huſſi ſpiritus manſuetiſſimus introducitur, huic quæſo conferatur Lutheriſtarum ferocia, atq; ſpumans ille fremitus. Lutherus minatur cæſos ſacerdotes & monachos fore in comitatu ſui funeris. Tale ne fecit Huſſus? Huſſus agno, Lutherus pardo ſi conferatur, opinor rectius eſſe collatum, q̃ ſi alter cum altero componatur. Verum & hoc bene factum. Quid hodie homines irrequieti, & neſcio quibus agitati ſtimulis, in nos moliantur, in obſcuro adhuc eſt. Et, ut illò redeat oratio, unde digreſſa eſt, quid Lutheriſtis obſecro ad animi ſui ſententiam nõ ceſſit? Optarunt Romam capi: capta fuit à duce Cæſarei exercitus Georgio Fronsbergio. Exoptarunt Monetarium, Cinglium, Oecolampadium, Denctium, Rotomannum et his ſimiles perire: perierunt, ipſis imperio per Germaniam relicto. Peroptarunt extingui papam: extincti ſunt tres. Deuouerunt Orco ſcriptores Antilutheros: &

ros: & ecce uitam exhalarunt ſex. Synodus, qua ni-hil certius, qua nihil optatius erat, retrogreditur hoc anno: conuenticula ſua perrumpunt. Roterodamus e terris diſceſſit, Lutherus apoſtates regnat. Rex Anglicanus deſciuit ab Eccleſiæ uniuerſitate, factus par-tiarius. Roffenſis, Morus & complures alij: quod Lutheriſmo & morum licentiæ conſentire nollent: ferro occiſi ſunt: mortui ergo ſectam non mordent. Rex talis innocentum uirorum cruore non ſatiatus, inuaſit monaſteriorum fortunas. Quadringenta di-ripuit, opum immenſa ui ablata: ceſſit bene. Mox ſui cleri ac populi maximo exorto motu perculſus: eua-ſit tamen. Imo non euaſit tantum, uerum obtinuit etiam fraude, non uirtute, ut liceret Lutheriſmum fir-mare. Fruſtra rebellarant centum milia Anglorum. Fruſtra promiſerat rex Scotorum rebellantibus militare præſidium. Rex impudens facie proſperatus eſt. Vicit, fauente diabolo. Carolus Imp. ſereniſſ. inuictiſſ. anno ſuperiore haud feliciter in Gallijs bellum gerebat: Sic uoluerunt ipſi. Ferdinandus Rom. Rex ſereniſſimus inuito Marte præliabatur in Hungaria contra falſum regem: Non aliter optarunt. Rex Gallorum, & Gelrianus ἱπποδάμος ille obex eſt, ne Cæ-ſar ingruat, Germaniam pacaturus: Ita placuit. Nũc re fortunatius in Belgis & Subaudijs geſta, nonni-hil contrahunt frontem: uerum ægritudo tantula, ad ſuum iuge gaudium comparata, nihili eſt. Non-

dum

dum enim omnino impletum est illud Maronis:
Prosternet Pœnos, Gallumq; rebellem.
Et passim fertur adhuc, Franciscus frater Soleimanni, cui Franculo fratri Neapolis, Sicilia, Sardinia & Latium Cæsareanum tradi decretum est, si modo Soleimannus Carolum nostrum: quod superi omes prohibeant malum: terris eiecerit. Cæterum his penè contraria pars altera experitur. Nam quo fortunatior secta est, eo Rom. ecclesia indignius deijcitur. Nec propemodum apparet, quo hæc sui loco prosperetur, tanta ubiq; ruina atq; erumna est. Si quid procedit, ægre procedit, nec aliter ac si sit iam iã corruiturum, in his prȩsertim regionibus. Non conqueror de potentatu sæculari. Huic enim nihil decedit, nec magnam adeo iacturam sentiscit. Ecclesiasticus principatus adflictatur, Regimen parœtiarũ debilitatur, Cathedra labefactatur, Schola uacillat, Plebs seducitur, Misera, calamitosa, tristia omnia.
Sunt lachrymæ rerum.
Accedit uis Turcica, quod uel unum malum, omnium malorum uice possit esse: & abunde essemus miseri, hoc solo malo. Aiunt tyrannum recuperasse Cȩsareo bello amissum in Aphrica regnum Thuniense. Aiunt Venetorum ditiones crudeliter cõcuti, maxime Corsicam seu Corsunam insulam. Aiunt rabiem immanissimæ beluæ (Turcicum tyrannum sentio) in dies uehementius crescere, nec defore illi facul

tatem ad exequendum quod ſtatuit. Cuius rei fidem Gallicani regis conſpiratiũcula adauget. Quod ſi Sofis Perſa inducijs aliquantiſper domi retentus quieſcet, ſi Gallus nõ quieſcet, ſi Veiuoda Budaianus rebellare perget, ſi Corſica capietur, ſi deniꝗ Germani diſſidia inter nos noſtra prorogabimus (utinam ſim pſeudomantes) quid niſi certũ oſtium aperietur crudeliſſimis Schytis, & in Italiam & rurſus in Auſtriam? Quo euentu quid poſſit funeſtius cogitari? Et tamen mali maximi metus omnium animos obcupat. Reuocamus in memoriam, quid acciderit Bizantio, quid Chalcidi ſeu Negropõto in Euboea, quid Hydrunto in Apulia, quid Rhodo, quid nouiſſime Budæ: Ab his diſcimus Getarum in nos futuram immanitatem. Hæc nos miſeria excoquit, ac plus quàm ſatis adedit, etiamſi in alijs eſſemus feliciſſimi. At uerò quid ijs infelicius, quos ſimul tot hoſtes impetunt? Hinc præpotens Schiſma contra eccleſiam ingraueſcit, non ſine Antichriſti ſuſpitione aliqua. Sic enim de Antichriſto ſcriptum eſt: Proſperabitur et faciet. Rurſus: Et faciet iuxta uoluntatem ſuam & eleuabitur &c. Illinc Turcarum impia barbaries dirum minitatur. A fronte àꝗ tergo ſæuit cacodęmon, multiplicibus admotis machinis. Capita tentat ac ſuperat. De uictis Chriſtianis ouat, de corpore Chriſti triumphat. Heu nephas. Heu quò cadit Chriſtianiſmus. Permittitur hoſti tanto, docere publicitus, quæ uult ipſe

ipſe. Permittitur regere, quomodo libet. Permitti- tur miſcere omnia, confundere uniuerſa. Inde eſt, ꝙ aures Magnatum abhorrent à predicata ueritate, ꝙ oculi eorum à ſcriptis pro pietate Chriſtiana libris refugiunt, quòd corda eorundem à deo ipſo, quoti- es occaſio alicuius mali offertur, recedunt, ꝙ pedes eorundem ueloces ſunt ad currendam uiam iniuſti- tiæ. Inde inquam eſt, quod à maximo uſq; ad mini- mum nemo facit officium Chriſtiani hominis, ꝙ nõ eſt, qui faciat bonum, ꝙ omnes ſua quærunt, ꝙ ba- ptizati conformamur huic ſæculo, ꝙ Euangeliũ dei uix ſummis labijs ac legem dei nullo digitulo attin- gimus, Ariſtoteliſtæ, Papiſtæ, Lutheriſtæ. Germa- niæ rectores feralibus inter ſe odijs diſſident. Turpe dictu, ꝙ̃ tota nunc Germania perpetuis diſcordijs ue xetur. Prouincia prouinciam, ciuitatem ciuitas, ui- cus uicum hoſtiliter inſectatur, ſiue quia unuſquiſq; attentius ſuo ſtudet commodo, ſiue quia diuiſa eſt Eccleſia, diuerſa religio. Quotidie putantur princi- pes cum præſulibus bella de repente geſturi, idq; ut ille ait:

In commune nefas. Arma concrepant, armis ani mus indormit, de armis ſola cura. Audiuntur ubiq; minæ, panguntur fœdera, ciuitates muniuntur, tor- menta parantur, commeatus aggeritur, augeſcit odi um, alter in alterius iugulum enſem haſtamq; ſuam acuit, tãquam mox fixurus proximum. Nihil ſuper-

est,nisi mutuæ strages, & patriæ nostræ sempiternis lachrymis tingenda uastitas. Non sat habent totam Asiam ac Aphricā immanibus bellis quati, nisi inter nos Europæos etiam exitialē tumultū concitent. Et o perq̄ atrox malum. Ipsi in sua uiscera Germani conuertuntur. Quid amplius a Sultanis & Moscouitis expectandum? Consiliarijs ac incendiarijs patrij belli proditrices linguæ per ceruices sulcatas erui deberent, me iudice. Sed in querelas altius descēdam. Magister noster CHRISTVS IESVS uocat nos ad humilia, nos sublimia captamus, excelsa petimus, superba sectamur. Suadet pacis studium, nos bellamus, litigamus, iugulamus mutuò, idq; discipuli IESV, non tantum filij Adę. Prçcipit opera charitatis, nos odimus, mordemus, laceramus, nec secus tractamus alterutrum, ac si essemus bruta animalia. Vult castitatem coniugalis thori, at nostro tempore uirulentæ hæreseos condemnatur, qui e clero coniugium publicæ impudicitiæ præfert. Scortari, honori est, honorabile connubium colere, pœnę. Docet magister eleemosynam, nos aliena rapimus, proximū defraudamus, fratrem usuris exugimus, populum exactionibus atque expilationibus continuis deglubimus, non detondemus solum. Monet de ieiunio, nos comessamus, inebriamur, nec gulæ nostræ modus, nec luxuriæ finis est ullus: Quin nepharium etiam uulgo existimatur, nisi quotidie bis terq; uores. Predicat linguæ cu

guę custodiã, nos maledicimus, peieramus, fallimus, mẽtimur, ociose nugamur. Verũ infinita quis finiat? Iuuenalis de sui saeculi pessimis moribus cõquerens:
Quando, ait, uberior uitiorum copia? quando
Maior auaritiae patuit sinus? Alea quando
Hos animos. Neq; enim loculis comitantibus itur
Ad casum Tabulae, posita sed luditur arca.
At is quid obsecro dicturus erat, hodie si uel Romae uel apud nos Germanos uiueret? Transgressio fit ultra septem etiam illa peccata mortalia, Imò haec fere ludicra sunt. Deus ipse nihil curatur. Libere loquor, addam liberius: Deus contemnitur, quoties affectus dominatur. Ecclesia irrisioni patet. Scriptura pro fabella ducitur, quoties Mundo huic detrahit. Verbum regni exuccum est, nisi carnalibus desyderijs obseruiat. Humanae gloriae posthabentur omnia. Nil nisi lauda, et ipsis Anglicis spiritibus pręfereris. Vituperãda uitupera, en tibi paratam crucem. Tace de iustitia, tace de disciplina, quod praemiũ nisi summum hoc in Mundo & copiosum auferes? Diluuio uitiorum maximo passim obruimur, Christiani scilicet. Descendit à contempto deo ad ea etiam flagitiorum genera, cuiusmodi prius saeculum ne cogitauit quidem unquam. Si maiores peccarunt, consecuta est peccatum poenitentia. Hodie poenitentia stultitia est, & contritio perditio. Nunc pergrassant parricidae, sacrilegi, incesti. Viuitur ut sceleri locus ubiq; sit: Et

ſit:Et tanta inducta peccādi neceſſitas, ut niſi pecces, moriare. Peccare licet, bene agere propemodū non licet. Huc profecit nouus euangeliſta Lutherus, cuius ſpiritum plus nimio nouatorem, plus iuſto pugnacem ac tumultuantem ſuſcitauit pſeudepiſcoporum intolerabilis iniquitas. Quur enim, & in cuius hominis gratiam, id quod ueritas eſt, diſſimulem? Venio ad templares ritus. Quàm pauca ibi deo digne obſeruantur. A ſcelerato meretricis corpore ſurgitur, & itur ad altare: atq; hoc ſæpiſſime, impune, citra pudorem. Non oratur, ſed ſibilatur. Non uerba, ſed uox, Non ſenſus, ſed ſonus, Non affectus, ſed ſtrepitus quęritur. Labia mouentur, folia iactantur, globuli uerſantur, mens uero interim aut expatiatur in immundo Mundo, aut dormit ſomnū ſuum, aut ſibi blāditur de ſanctimonia neſcio qua. De multis, non de omnibus loquor. Multi ita rem ſacram faciunt, ac ſi ſit ludus, & inuiti magis quàm ultronei. Multi Primatum deſyderijs adeo indulgent, ut citra conſcientiæ remorſum, deum malint iritare. Multi quia nolentes ac murmurabundi ſacrificant, puniuntur diuinitus, ita ut deteriores fiant. Malo animo accedunt, peiore diſcedunt. Multi ita aſſueuerunt ſacro cibo, ut ipſis perinde ſit, quid quo tempore capiant, modo hinc non omnino nihil peculij ad pertuſum dolium redeat. Pompa, faſtus, ambitus, triplex peſtis hæc ſacerdotalis chori, uereor, deperdit ac euacuat, quic-

cuat, quicquid obſeruatur, quicquid celebratur. De moribus, non de rebus loquor, De abuſu, non de ſubſtantia. Paucorum culpa non præiudicat Religioni, Et ut eodem loco ſcribit ſanctus Hieronymus, Apoſtolorum fidem non deſtruxit Iudæ proditio. Ne memorem, quantum detrahat diuino cultui ſacerdotum & cantorum pariter inter ſe peculiare odiũ, & rixa, ſeu ut ipſi dicunt, guerra, ſæpe pro noxis pluſquam leuiſſimis. Nec nõ deturpat omnia, aucupium nummulorum, ſine quorum ſpe diuite, quid non in templis friget? Obſecro quotusquiſque miniſtrantium his ſaltem temporibus Luthericis, tantum inuidiæ ſibi conciliet, obſeruando eccleſiaſticas peractiones, niſi pecuniæ lenocinio ſuſtineretur? Nunquam enim uerius fuit quod apud Malachiam dominus conqueritur, nõ exiſtere qui claudat oſtia & incendat altare ſuum gratuito. Niſi actutum des, curritur ad ſectã. Quod ſi poſſet talibus mercenarijs in Secta contingere unde uictitarent, profecto eccleſiam equis uelisq; desererẽt, uſqueadeo neminẽ fere non delectat carnaliſſimæ Sectæ licentia, uoluptas trahit. Quis igitur ſponſor, quis obſes erit, Cultum talibus obſeruantium uitijs contaminatum, placere deo? Attigi Chori uitia, pauca tamen. Cathedræ cacoetheas quis dinumeret? Quibus ſi adnumeres mores domeſticos, ꝗ indecora, ꝗ flagitioſa, ꝗ gemenda omnia. Vtinam apud obſeruatores nihil ſit τὸ ἀλλό

τῶν χριστιανῶν. Vtinam nihil paganum. Reſeco quere-
las, cohibeo ſuſpiria. In opulentis monaſterijs ſic ui
uitur, ac ſi cras deberent mutari, ſubq; nouum mitti
iugum. Inſtans alteratio ſuadet gubernatoribus mo
nachicis illud Tolle Tolle, quiq; ad eum modũ cre-
ditis præſunt bonis, ut ſibi haud mediocriter pro-
ſint: eligentes quippe in arundineto meliores arundi
nes. Cras hæc, inquiunt, impius miles habebit. Huic
ne ſimus condi, & non promi magis? Edamus, biba-
mus, rapiamus, cras oportebit exire, aut claues alij
cuipiam tradere. Ita cuncta uelut in procinctu ge-
runtur: Is eſt rerum Euripus. Atq; ita minime Per
noſtrum patimur ſcelus Iracunda deum ponere ful-
mina. Gymnopodes uidentur excuſatiores eſſe. Ni-
hil illi habẽt, nihil poſſunt perdere. Et eò illos oĩa
referre conſtat, ut deſperatis rebus, aliqua ſaltem ex
parte opem ferant, alius ſcribendo, alius concionan-
do. Siſto gradum. Nam mala innumerabilia ſunt,
ſicut arena in littore maris. Sed unde nam tot ac tan-
ta? Quęrimus etiam nunc, non neſcij ſolutum eſſe Sa
tanam de abyſſo, in qua ceu carcere ſuo ligatus atq;
obſignatus iacuit, quemadmodum docet liber Apo
calypſeos Theologicæ? Satan eſt, qui facit hæc, Inimi
cus homo eſt, qui eiuſmodi zizania paſſim ſuperſe-
minat. Quod cum ſcimus, cur non undiquaq; reme-
dia conquirimus, propulſandis hiſce malis, & leuan-
dæ communi miſeriæ? Quo uſq; negamus, quod in
Baptiſmo

Baptiſmo affirmauimus, affirmamus quod negaui-mus, amplectimur quod abiurauimus, retractamus quod uouimus? An uero libet ultro nosmet interne tioni dedere? Volumus noſtrapte ſponte perire de terra uiuentium? Ira dei grauiſſima ſuper nos & fili-os noſtros eſt. Fateri cogimur. At quur non eam pla camus in tempore, hoc eſt, antequã experiamur ma-num percutientis Turcæ? Fatemur iuſtam iram, ac commeritum ſupplicium? Etiam fatemur. Credimus iram quantumlibet acerbam mitigari poſſe? Vtique credimus. Vtrò igitur inclinabimus? Num ut intere-amus, an ut emergamus? Perijmus, ſi hoc tenore uitę perrexerimus. Emerſimus, ſi ſtatum non optimum correxerimus. Ah nemo mihi hic obluctetur, cadu-corum commodorum ergò. Non debeo canis mu-tus eſſe, qui accepi Euangelium eccleſiæ predicandũ. Videor mihi nunc in conſpectu maieſtatis, inqꝫ luce cœleſtium principatuũ ſtare. Ibi quo ore, qua fron-te tergiuerſabor? Apud me non habet locũ: Loqui-mini nobis placentia. Non cõſuo puluillos. Non uo ciferor pax pax, ubi contritio & calamitas eſt. Veri præſules, docti doctores, pij cõcionatores huic meæ in dicendo libertati fauebunt, non conniuebunt tan tum. Et quid ego tandem hic pecco iniquiſſime Sy-cophanta? Video uenientem gladium uiſitatorem, Tale ex mandato dominico fratribus meis non prę-nunciem, ut a malis conuerſi, bonas faciant uias ſuas,

 & non

& non pereant? Num laudare iubes, num defensitare, quæ nobis iram iusti exasperant, tantum abest, ut laudanda atque defensitanda sint? Debeo dissimulare Ecclesiæ morbum, ne uidear inciuilis? Qui tacet, consentire uidetur, & nos adulari dedecet, maxime in rebus fidei grauissimis. Magno, crede mihi, constiterit, amicitia sæculi amicitiam dei permutasse. Nec non extremæ dementiæ sit, in Gehennam conijci malle, q̃ unum atque alterum pseudochristianum Spermologum offendere. Te tacente, Christiana res in dies ruit. Te adulante, hæresis in horas uires acquirit. Proinde quomodo propositum moresque tuos ecclesiæ probabis? Dolet ulcus. Credo equidem. Sed quanto prudentius accersitur Cataplasma, q̃ mors? Caius Marius, Cicerone teste, præbuit crus uaricosum secandum medico, nullo suspirio nec cõtractis supercilijs: Nos uero nihil sectionũ aut ustionum feremus in ualetudinario Ecclesię corpore? Si reniteris spiritali ecclesiæ chirurgo, quomõ tolerabis, exemplo Marij, tuo met de corpore ferro abscecandum crus? Non pateris obliterari in ecclesijs parum ecclesiastica: id quod tamen & decus & utilitas Christianismi foret: qui igitur obdurares, si animam tuã adureret ignis inextinguibilis? Qui ferres, si dissecareris a patrefamilias, & pars una poneretur cum hypocritis, ubi erit ploratus & stridor dentium? Sæpe, moneo, ac præcaue, ne dũ aboleri nihil sinis, cuncta pessum eant. Cedere

dere hæresi in nullo uis, etiã in confessis, uide ergo ne Mahometanæ ac plus q̃ abominandæ impietati in multis te cedere oporteat. Corpus ecclesiasticum curatum, non extinctum cupimus. Domum Christi expurgatam, nõ deuastatam quærimus. Hic animus meus, hoc consilium. Ecclesiæ nihil deperit, si putris caruncula resecetur, sed melius inde habebit, atq; florebit hæc arbor amœnius, si putetur. Sed a calumniatore, cui nullus satisfecero, illò reuertar, ubi ad ostensi mali consyderatiunculam aliquam excitaui pia pectora. Om̃ino enim expergiscendum est ex altissimo somno. Torpor & ignauia procul hinc. Ecce securis ad radicem arborum posita est. Tuba speculatoris insonuit. At quæ nam tuba? Pœnitentiam agite. Sed quis est prolixior iste atq; concisus clangor? Nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Pontifex Rom. primo loco sese reformandum exhibeat, ut cuius ergò, sicuti uulgo creditũ est, tota hæc orbis discordia pullulauit. Fore autem isthuc, nonnullã spem facit nobis, uiri istius singularis æquitas. Fertur pius esse, præterea doctus, Quo magis consentiet in doctam pietatem & in piam doctrinam. Pium hominem reformare uelle absurdum est, Non abnuo, at ego hic de ijs rebus magis sentio, quę pontificis sunt, q̃ de ipso pontifice. Imo de ijs magis quæ non sunt pontificis siue quæ non decent pontificem, utpote Apostolicum uirum, cui Ecclesiæ pedum, non sceptrum

C iij ptrum

Pœnitentia agendum est [illegible] (handwritten marginal note)

Baculus pastoral. (handwritten marginal note)

ptrum mundi cõmiſſum eſt, & cui claues datæ ſunt, non machinæ Martiæ. R. D. Petrus Boſchius epi-ſcopus Aquenſis, Legat. Apoſt. cum hic eſſet, ita mihi in priuato colloquio Põtificis animum depinxit, ut non potuerim non polliceri orbi fauſtum ſydus, & Eccleſię naui exoptatam Cynoſuram. Mihi enim interroganti, num qua ſpes reliqua eſſet, in Concilio praua correctum iri, in hæc uerba reſpondit: Affirmo tibi, correctionem fore, a capite uſque ad omnia membra. Imo a ſeipſo incipiet correctionem Pontifex, inuitis etiam epiſcopis aliquibus. Qua promiſſione meis auribus nihil potuit dulcius eſſe. Promiſſio mille ducatorum in ſingulos annos, alij grata ſit (ut talia ſunt philargyris gratiſſima) mihi hæc, hæc inquam promiſſio pontificiæ catorthoſeos unice fuit tum optata tum accepta. Porro pontificem ſuum ultro ſequentur Cardinales presbyteri, quos hodie Italia habet in omni eruditionis genere excellẽtiſſimos. Nec me ullus e Roma rumor perinde adficit, q̃ quoties audio Cardinales presbyteros eruditos illic uiuere, ut qui cum antiquis Eccleſię doctoribus certare poſſint. Cardinalium presbyterorum exemplum illuſtriſſimum imitabuntur epiſcopi, quorum dignitatem pietas ornat. Ordo ſacerdotum haud grauatim ſubijciet ſe Hierarchiæ faſtigio, ſi modo res gradu maturo ꝓcedat. Principes quoq; ſæculares ſubmittent colla reginæ Veritati, atq; Auguſtæ Iuſtitię,

existimantes nimirum, quanto sit satius, recto itinere ad uitam contendere, q̃ curuis ambagibus cò deferri, ubi nulla est redemptio. Huiusmodi, dicet aliquis, ad oecumenicum Concilium pertinent. Maxime. At quando præter opinionem differtur Concilium, & mala interim uiolentius inundãt, nõ debemus emendari? Quid si ad Græcas Calendas (quod absit precor) celebretur Concilium, num idcirco nolis bene agere? Non desunt, quibus subit suspitio, propterea in Mandrabuli morem procedere Cõcilium, quod in eo pseudecclesiastica tyrannis, & iniustæ constitutiones, & execrandæ superstitiones, & Aristotelicæ Sophisticationes, & Thomisticæ fabulationes, atq; id genus exitia Christianisimi, pristinę (heu pudẽdæ) dignitati restituenda sint. Quod ipsum ego, si existimarem futurum, quiduis libentius, quàm Cõcilium suaserim. Nunquam fiat Concilium, nunquam inquam fiat, nisi ibi separetur preciosum à uili, & Euangelij casta ueritas super tectum predicanda, quàm seuerissime decernatur. Voluntas certe pontificis culpa uacat. Indixit, sed Satanas impediuit executionẽ. Denuo indixit in Italia, sed denuo frustra: & indixit nõ tam alijs, q̃ sibi ipsi. Nunc quandoquidem de loco rixantur, petit à Venetis commodum locum, ne desit officio suo. Subuereor tamen, ne & hic Marculphus inueniat, quod causetur. Mãtuæ corrigi renuunt, mirũ si adnuent Paduæ aut Teruisij. Et quis

locus

locus commodus erit, tam tortuoso hominum generi? Nolunt ij conuinci erroris, alij nolunt mores suos castigari, ideo utriq; nolunt uenire, quantumcunq; etiam ciuitatem deligas. Si tanta est contentio de loco Concilij, quid porrò futurum in ipso Cōcilij tractatu? Ego sane Paulum excuso, ut qui ex animo toto concupierit Concilij effectum, tantum abest, ut refugerit. Id quod si aliunde non sat scirem, poterat me de pectore probi uiri certiorem reddere R. Cardin. Iacobus Symoneta, qui proximo Iulio mēse ad D. Friderichum Nauseam, fratrem meum dilectiss. hæc uerba scripsit: Deus malefaciat Concilij intertur batoribus. Nam pontifex eo fuit semper, mihi crede, & eo est animo, ut nihil magis cogitet q̄ Concilium. Ait se Cardinalem semper suasisse, uti huius rationis pharmaco Christiana Respub. reuocaretur ad sobrietatem, compelleret redire ad cor, resurgeret ad iustitiam & probitatem. Cū uero nunc summam ipse teneat, asserit se omnia posthabiturum Cōcilio: quod impediri Principum discordijs, inimicitijs, odiis, iniurijs, ualde dolet ac lamētatur. Decreuerat ipse omnino proficisci, ut edixerat per nūcios suos Christianis omnibus, sed est hominum & temporum culpa inuitissime retardatus: distulitq; in Calendas Nouembris. Vtinam & hanc statutam diem nobis non auferant, partim Turchica, partim domestica bella, Contentiones item litesq; de loco. Nam de hoc puncto disce-

cto disceptatur uehementer à mundi principibus. Alius aliò tendit, Quod unus uult, renuunt alij, Is ciuitatem hanc, alius aliam postulat: Hic uult tuto uenire, ille nihil ait esse tutum. Paulo post: Tanta est in hoc sanctissimi domini nostri perseuerãtia, firmitas, constãtia, ut libere audeam ego eos qui impedimento sunt, graui scelere obstrictos esse iudicare, quandoquidem uastitatem inferunt ecclesiæ &c. Hæc Symonetæ. Necq; tamen nobis spes omnis omnino eripitur, quin sit aliquando futurum Concilium, & illud tãto grauius, quo serius. Heu nobis, quàm lugubre est, negocium ita necessarium, ita exoptatum, ita bonum tanto impediri tempore. Si quid doloribus possemus efficere, nihil reliquum foret mali. Sed prę terquam quod dolẽtes nihil proficimus, subsannamur etiam ab ijs, quibus dolendum erat Concilium. Sustinemus exprobrationes odiosissimas in turba derisorum, nomine Cõcilij. Et ea ratione in tantum abit contemptum Cõcilij uocabulum, ut uix aliquid supra. Italia hanc ob causam nunquam peius audiuit inter Germanos. Boni animi gemunt ad hos casus. Magna pars desperat de catorthomate, quippe toties uerbis promissę pacis inanibus delinita. Alij conuitiantur tam Papis q̃ Lutris, ut qui in caussa sint nõ calamitatum harum modo, sed & auctarum in horas. Sed omnino tandem futurum est Concilium, idq; forsan uocante Cæsare, quãdoquidem ad Pon-

tificis bullas ſurda eſt Germania. Interea uero quid faciemus? Interea, inquam, Papa non ea geret, quæ gerere Papam decet? Nec Epiſcopus quæ Epiſcopum: Nec Abbas quæ Abbatem: Nec Sacerdos quæ Sacerdotem: Nec Monaſta quæ Monaſtam? Me conſule, ſeu hortatore potius, faciemus ſuum quiſq; officium, non aliter animati, q̃ ſi in quinquennium prorogetur Synodus. In quinquennium non prorogabitur, attamen interea multi menſes, dies & horæ labuntur. Quid ſi intra luſtrum hoc, te metat Orcus? Cauſabere apud generale Tribunal, te fefelliſſe Concilium? Quid ſi hoc ipſo tempore potentiſſimus Soleimannus ui magna penetret Apuliam, Calabriam, Cãpaniam, & ipſum adeo caput orbis Romam conſcelerata manu diripiat? Auertat malũ tantum omnipotẽs rex, Certe accepto tanto malo cum imo gemitu diceremus: O ſi ita nos geſſiſſemus, ne nobis nunc opus eſſet inanibus querimonijs. Næ n. inanes tum omnes querimoniæ: & ſero heu nimium ſero plangeretur exciſa Roma, quemadmodum pius quidam homo planxit exciſam Conſtantinopolim. Intempeſtiua tum, a gentilibus etiam improbata uox erit: Non putaram. Fruſtra plorabitur ueris licet lachrymis amiſſa pecunia. Fruſtra lamentabimur amiſſos ſenes cum iuuenibus, mactatas uxores cum liberis, diruta templa, exuſtas Bibliothecas. Eſſet tum cœlum ferreum, utpote ad quod redituras iacu

lare

laremur uoces lachrymabiles. Quin igitur sapimus in tempore, ne quod metuimus, experiamur. Quorsum perpetuo à uiris propheticis scribuntur orationes, consultationes, deliberationes, exhortationes, si omnia surda & cæca sunt? Efficiamus opere tenus, ne in posterũ tot indigeamus mortuis chartis. Aboleamus chartas, quippe re ipsa præstantes, quod monuere chartæ. Sentimus iram Creatoris nostri, subsentimus ultionem. Lutherismus extat, Turchismus instat. Alter horum animæ, alter corpori struit insidias, adeoqꝫ uim infert. Quid his addes tertium? Lutherismus Ecclesiam populari cœpit, Turchismus perficiet, nisi exorabilis pietate nostra DEVS Opt. Max. brachium sanctum suum pro nobis extenderit, hocqꝫ brachia peccatorum contriuerit. In magnitudine brachij cęlestis unica spes est Christianorum. Verissimum istud, At hęc spes comitē habeat, Nempe uitam Christianam: extra quam uidimus, quantum tyranni manus ualuerit. Clamabimus ad deum coeli: Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Verum ijdem inter nos dicamus: Venite & reuertamur ad dominum, quia ipse rapuit & sanabit nos, percussit & curabit nos. Pœnitentiæ pharmaco consulitur periculo instanti, non ferro duntaxat. Conuersio ad percutientem nos, turris fortitudinis erit à facie inimici. Christiano nomine digni mores, suppeditabunt Pyrobo

 los con

los contra irruptionem barbarum gentium. Miseri-
cordia in pauperes, erit hasta, framea, bombarda &
quicquid uspiam est instrumenti bellici. Fides ac fidu
cia in dexteram omnipotentis dei, qui pro nobis pu
gnat, erit clypeus, murus, fossa, uallū. Hæc ipsa cor-
dis nostri fiducia potens ac constans faciet nobis sa-
cras historias longe utiliss. Illæ enim nobis tum me-
moriæ aderunt, Nimirum de uictoria Abrahæ de
quatuor regibus, de uictoria Mosi contra Amale-
chitas, de uictoria Iosue, de uictis Hierichuntis, de
trecentis uictoribus Madianitarū, de uictoria Sam-
sonis, de uictoria Gedeonis, de uictore Dauide, eo-
demq; sæpius erepto è manu regis Saulis. Succurret
nobis Helisæi prophetæ militare ac cōfidens uerbū:
Plures sunt nobiscum, q̄ cum hostibus. Et quod di-
xit Iehasiel propheta: Nolite timere hanc multitudi-
nem. Non est enim uestra pugna, sed dei. Cras egre-
diemini contra eos, & dominus erit uobiscum. Rur-
sus quod intonuit Esaias: Nolite timere & cor ue-
strum ne formidet à duabus caudis Titionum fumi-
gantium istorum &c. Nam uictoriam de tam poten
te tyranno, non nisi adiutore Deo Zebaoth obtine
bimus. Ardenti precatione, & intensa inuocatione
fortissimi Numinis emerenda nobis est tam insignis
tamq; speciosa uictoria. Instituantur Litaniæ solen-
nes. Canemus tuba in Zion, sanctificemus Ieiuniū,
uocemus cœtum, congregemus populum, sanctifice
mus eccle

mus eccleſiam, coadunemus ſenes, aggregemus paruulos ac ſugentes ubera. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Inter ueſtibulum et altare plorent ſacerdotes miniſtri domini, dicentes: Parce domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Quare dicant in populis: Vbi eſt deus eorum? Quo pacto, imitemur Niniuitas, ut de nobis quoq; poſteritatis memoriæ mandari poſſit illud ex Ionæ prophetæ libro: Vidit deus opera eorum, quia conuerſi ſunt a uia ſua mala, & miſertus eſt deus ſuper maliciam quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Quod ſi recens exemplum requiris, en in foribus Catanenſes Siculi, qui tartareis Ætnæ flammis oppreſſi ex improuiſo, toto pectore ſeſe deo noſtro contradebant, adq; huius unius protectionem confugientes, ſeruati fuerunt. Illorum ciuium illuſtrem pietatem me ex nouis hiſtorijs adſcribere non pigebit: Noctis quæ ſecuta eſt initio XXIII Martij cum terræmotu & ingenti ſtrepitu e uertice mõtis Ætnæ qua orientem ſpectat, ingens uis ignis erupit, magnoq; impetu uerſus ortũ ſolis ferebatur, ita ut Clerus ac populus Catanenſis pauore conſternatus in ædem diuæ Agathæ ad opem diuinam ſuppliciter implorandam cõcurreret: unde mox ſupplicationis pompa cum magno fletu, cumq; Pſalmodijs & precationibus ac iugi inclamatione Miſericordiæ, cam-

panis interim lugubre tinnientibus ducta est usque ad ædem Virgini Annunciatæ sacram. Mirum dictu, priusquam absolueretur supplicatio, cœpit incendium decrescere, breuiq; post tempore uidebatur omnino extingui. Mane sequentis diei Nudipedales supplicationes sunt instauratæ: & urbs populariter pietatem complexa, in ieiunijs ac precationibus perdurauit usq; in diem dominicam, in qua uniuersa plebes ad Eucharistiæ sacratum epulum concurrit: magnusq; numerus eorum qui acerbissimis simultatibus dissidebant, ultro condonatis offensis in gratiam redijt, tanto affectu, ut capitales modo inimicos uideres in mutuos amplexus & oscula ruere: Idemq; & in alijs eius insulæ locis passim factitatum est. Hactenus histor. Eo certe modo exambiendus est diuinus fauor, & quæritanda clementia. Hic audiam indubie quorundam τῶν ὑπὲρ λίαν euangelistarum scilicet oggannitus: Quid tu o bone? Num bonis operibus coërcere Turcas uis? Respõdeo: Te uexillifero ne malis operibus arcebimus immissum Sennaherib, immissum Nabuchodonosor? Te concionatore obsecro in huius ne uitæ turpitudine, inq; inusitata licentia promerebimur, ut nouus Athalaricus, nouus Totylas, noui Ostrogothi & Visigothi Italiam denuo non peragrent, ac ab Italia conuulsa nos adoriantur? Malis eheu operibus plus nimio numerosis accersiuimus calamitatem patriæ, quod si ne

gabis,

gabis, audies occasione tui Schismatis cō usque per- grassatum Turcam. Quid oggannis impurum os? Nonne bonis operibus credētium Niniuitarū abs- tenta fuit percussura manus irati dei? Nisi pœnituis- set tam ampla ciuitas in sacco & cinere, nonne fuisset solo adæquata? Cui tum usui fuissent arma ciuium? Nunc uero pœnitentes & bene operantes in tuto erant, quod beneficium quibus quotue armis alio- qui potuisset obtineri? Nōne hic bona opera magis effecerunt coram deo, q̃ panoplia omnium Assyri- orum, Chaldæorum, Græcorum & Romanorum intra mœnia urbis Niniue collecta potuisset effice- re? Cęterum ab altero latere audiam rugitus istorum uidelicet, qui hostem contemnendum esse ducunt, si- bicꝗ persuadent, fieri non posse, ut aut in Germani- am aut in Italiam aditus tyranno contingat. Vtinam uero isti uates essent diuinitus afflati. Nihil enim pa- triæ nostræ magis in uotis. Inuiti equidem debella- mur, nolētes depellimur, Tale quis diffitebitur? Alij occlamant: In longum proferentur dies. Quibus & ipsis respōdeo: Amen: sic faciat dominus. Imo nunq̃ ueniant illæ dies. Amen, iterum atcꝗ iterum. Sed ni- hilominus suaserim consyderationem rerum olim in Iudæa gestarum. Deputa tecū caussas omneis tam prçliorum q̃ uictoriarum. Si res ęstimetur ab huma- na potentia, Europæi, nimium uereor, ne inferiores nimium simus. Si monarcha cum monarcha compo- natur,

natur,uter,rogo,ſuperior? Carolo noſtro Auguſt. Imp.inuictiſſ.quanta debemus præconia,ob potentiam ſimul te uirtutem? Verum Tyrãnus, miſerabile dictu,tot unus occupat regna,ut nos noſtrimet pœniteat,quoties tale recolimus.Si nos Andream Doriam & Calcianum duces efferamus, habet contra ille quos pręferat, Barbaroſſam Algarię regem et neſcio quem Bellerbeium . Nos obiectamus principes & conſiliarios,ipſe oſtẽtat ſuos Ammiraldos ac Diodaros.Nec eſt ullum, quod illi terra mariq; deſit, imo quo non ſuperabundet, decuplo nobis ditior. Hæc & ſi confeſſa admodum ſunt, attamen minime deſpondebimus animos. Terrefacit quidem nos,ut adparet,beſtiolas Leo, ſed plus terret nos ſuccenſa ira ultoris dei: Ab hac demũ metus eſt.Hanc ſi placauerimus matura pœnitudine,ſeria eccleſiæ reformatione,libera ac pura Euangelij predicatione, optimorum operum ſtudio , haudquaquam addubitarim , quin pauciores licet numero , de tanta Schytarum colluuie ſimus triumphaturi . Trecenti illi ſub Gedeonis uexillo,quãto cum plauſu fuderunt multa milia militum? Quid? Potẽs eſt dominus deus noſter Angelum ſuum in caſtra noui iſtius Sennaherib immittere,qui nocte una, nobis ad precationem occupatis , centum octoginta quinq; milia Turcarum cædat. Arma deponere,nemo iubet. Armis uero fidere,quicunq; iubet,impius in deum eſt. Venetiana

potentia

potentia magna omnino esse monstratur: si illi Insu- læ omnes saluæ maneant, sicq; stabili proposito, pu- blico Christianę Crucis hosti fida repugnet. Italia ad Adriaticum mare ualida est. Regnum Neapolita- num obdurat adhuc ad quaslibet impressiones ho- stiles. Apuliæ ciuitates sese ad directas incursiones offirmant: ut de maritimis Trinacrię, & Sardiniæ in præsentia sileam. Quæ regna populicq;, dexterę pro- pugnantis Dei Opt. Max. fisi, non solum meatum crudeli genti intercipere, uerūetiam facere poterunt ne truculenta illa barbaries alienos fines impune atti gisse se posthac glorietur. Atq; sic clauso mari, tuta erit Italia. Ad nos autem terrestri itinere ne propius redeat, quàm paucis ante annis uenit, murus olim erat Hungaria, nunc est Pannonia superior, & ab al tero ingressu Croatia, Carinthia, Stiria. Quibus si auxiliarem manum præbeant Boëmi, Moraui, & Schlesij finitimi, si ferant suppetias Poloni, Liuonij, Prussij, si copias suas coniungant multi ac diuersi Sa xonum populi, Pomerij, Marchij, Luneburgij, Ba- uari, Bintzgauij, Strumosi etiã, Sueui, Heluetij, Cisal pini, Franci teutones, Rhenani, Hessi, Thyringi, Her cinij, Misni, si suos exercitus adducant Burgundio- nes, Lotoringij, Brabantij, Gelrij, Cleuij, Hollandi, Selandi, Flandrij, Phrisij, Vestphali, si deniq; milita- rem apparatum adsocient inuicta Hispaniarum re- gna, et Britãni, et Schondij, et Dani, et Suetij, cumq;

ijs quotquot accolunt Germanicum oceanum, quis quæſo Soleimannus, quis Sultanus, arua patria fu‑neſtabit? Quæ natio neſcit Germanorum mauortia pectora? Maſcula eſt hæc noſtra late patens regio, quod olim ſat ſenſit Iulius dictator, nec is ſolus, No‑runt Arminium noſtrum, uictorem uictricis gentis. Sed una tantum parte laboramus hodie. Heu Schi‑ſma, heu diſſenſio eſt. Quod ſi fors ad nos intrabit Turca, heu Schiſmati, heu diſſenſioni ſoli calamita‑tem perpetuam debebimus. Diſcordia peribimus, ſi peribimus, uirtute alioqui uictores multarum genti‑um. Attamen urgente ineuitabili neceſſitate (ne ui‑delicet apud nos quoq; uerum fiat illud in poëma‑te Vergiliano:

Venit ſumma dies & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troës, fuit Ilium & ingens
Gloria Teucrorum, ferus om̃ia Iuppiter Argos
Tranſtulit: incenſo Turcæ dominantur in orbe)

opinor, ibunt obuiam uniuerſi ex æquo communi nimirum hoſti, & erunt cuncti Germani unus uir. Idem animus erit (ſic eñ adhuc ſpero, magis opto) eadem mens omnibus. Congregabuntur in obedi‑entia, ſalutabunt alterutrum in amicitia, copulabun‑tur in dilectione, ſtabunt in acie, fraterno coadunati uinculo, repugnabunt Turchicæ immanitati in fide, uincent per deum uiuum: nihil quærentes aliud, niſi defenſam cum priſca religione patriam. Prædam mi

nime

nime ſectabuntur, utpote qui id modo curę habent, ut ſuus cuiq; focus illæſus conſeruetur, & cum liberis intactæ uxores. Quæ quidem res bonam conſcientiam, aut certe non malam faciet fratribus. Neque enim ut mortales tantum cum mortalibus præliantur, ſed Chriſtiani cum Mahometanis, filij dei cum filijs diaboli, tincti cum uerpis, fideles cum infidelibus, Germani cum Barbaris, homines denique cum beſtijs. Nos non humanum modo, ſed & Chriſtianum ſanguinem in corpore geſtamus, quem profundere ſi eo pacto iuſſerit pater, incunctanter profundemus: Beatius tamen fore rati, ſi nobis tale contingeret, non bellantibus, ſed patientibus. Quare ſi aliter fieri non poteſt, quàm quòd oportet carnalia arma capere, meminerimus ſignum Crucis pio Conſtantino aduerſus impium Maxentium bellaturo oſtenſum, atque dictum illud: ἐν τούτῳ νίκα. Noſtro robore nõ uincetur corporalis ille Satan. Ipſi in curribus & in equis, nos autem nomen dei noſtri inuocabimus, qui ſi pro nobis, quis contra nos ſtabit? Dicimus & credimus: Turris fortiſſima nomen dñi, ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur. Oramus & obſecramus: Libera nos dñe, atq; pone nos iuxta te, & cuius uis manus pugnet contra nos. Breuiter: omnia habebunt haud peſſime, ſi pœnitentia tempeſtiua præcedat extortam militiam, & armis præeant opera. Confitemur peccatum multipliciter admiſſum,

 Reſtat

Reſtat ut caſtigemus, dum tempus eſt. Caſtigatæ autem Eccleſiæ quis hominum dæmonumq; nocebit? Inter nos prius ſanciatur pax, q̃ à gentibus exteris pacem ſperemus. Maximo deſyderio pijſſimus quiſq; tenetur, ut cito conuocetur uniuerſalis Synodus, & ut reprimatur Turca. Quæ duo maxima equidem ſunt, nec alia hiſce annis omnium Chriſtianorũ mentes perinde agitant. Omnium uotum eſt: Vtinam fiat Concilium. Et: Vtinam Turca non ingruat. Alterum optamus propter Eccleſiæ pacẽ, Alterum propter bonum patriæ. Tanta uero hæc non impetrabimus, niſi datore deo. At ille non dabit, niſi nos conuerſi fuerimus ad diſciplinam, et in timore ac tremore altiſſimi uixerimus. Proinde ſi uolumus mox futurum Cõcilium, rebus Chriſtianorum, omnibus modis & plus q̃ neceſſarium, Secundo loco ſi cupimus, ne ſit futura noſtris in finibus Gothica illa expeditio, rebus omnium mortalium exitioſiſſima, declinemus à malo, & faciamus bonum. Quiſque à uertice uſq; ad calcem ſeipſum cognoſcat, cognitum corrigat, correctum cuſtodiat. Primores eccleſiarum meditentur reformationem ſui, ac ſe diſciplinæ canonicæ atq; iudicio ſpiritalium uirorum ſubmittant. Verbum dei regnet in omnibus eccleſijs. Inutilis doctrina ſubſidat. In mores improbos om̃is ordinis animaduertatur. Grauam̃ina odioſa Politiæ mitigentur, Publica ſcandala e medio ſubmoueantur. Secer-

nantur sacra prophanis, Hoc est, paretur uia ad Concilium: ubi monitoribus minus asperi erimus, si antea uel assueuimus nonnullis monitis, uel certe tales Aristarchos ibi fore prouidimus. Sed quò prolabor? Amphora institui coepta, exit in urceum. Volui conqueri; atq; frui illa lugendi uoluptate, & pręter opinionem hortator fio adeoq; concionator. Verum ne sic quidem male. Quippe nihil miseri fletus lamentaue prosunt. Facto ipso magis opust', quo querelarum materia reijciatur. Vtinam uero ita percellam ac euerberem Christiana corda, ut mihi de temperata, si non in totum sublata calamitate publica plaudere liceat. Te uir optime quæ uidebuntur animo tuo, rogó respõdeas, id est, soleris tristes questus, quibus eneco atq; obtundo Fratres. Ita enim complacuit, e tuæ sapientiæ penetrali exculpere, quæ nobis sint futura non tam iucunda quàm salubria. Bene uale. Ex Islebio, uigesimo octo-bris. M. D. XXXVII.

T. P. deditus
Georgius Vuicelius.

LECTORI STVDIOSO S. P.

INCIDI NVPERRIME FORTE FORTVNA in congeriem illam Epitaphiorum Roterodami, iniquo admodum ferens, eiusmodi gemmulas uoto animi mei haud paulo serius contigisse. Hæc uero mihi cum omnia inter legendum perplacuerunt, tum maximopere arrisit Sebastiani Munsteri hebraicum Testimonium de uiro illo: atque id eo arrisit magis, quod perhiberetur ab homine schismatico: ut uix aliunde testimonia plus ponderis habent, quàm si ab ore extraneorum proficiscantur. Agnoscunt, Agnoscunt doctissimi quiꝗ magnitudinem diuini in Erasmo doni, Nostros duntaxat Lutheristas pharisaica inuidia usqueadeo cæcauit, ut quem uiuentem oderunt, uita etiam defuncto genuinum hostiliter infigant. Dici solet: Liuorem post fata quiescere, sed apud istos liuidos etiamnum feruescit liuor, atꝗ hoc desperatius, quanto magnificentius eruditorum Epitaphia Erasmum Magnum euehunt. Polythrylleton est in illorum conuenticulis: Impius Erasmus, Non habuit spiritum Erasmus, Nihil in scriptura sciuit Erasmus &c. Nam uirum, quo nullus unquam mortalium melius de humano genere mereri potest, ad extremum uituperarunt, haud aliter, ac si inferior etiã fuisset Lombardis, Thomis, Albertis, Scotis, Hugonibus, & his similibus Aristoteli